

1795, 2 4

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
EO QVOD IVSTVM EST ~~+68~~
CIRCA
**NVLLITATES IVDICII
CRIMINALIS.**

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS
D. X. OCTOBRIS MDCCXCV.
PVBLICO CERTAMINI SVBMISSA

AVCTORE
H E N R I C O G R Ö N I N G
B R E M A N O.

GOETTINGAE
TYPIS IO. CHRISTIAN. DIETERICH.

SENATVI SPLENDIDISSIMO

LIBERAE ATQVE INCLITAE

S. R. I.

CIVITATIS HANSEATICAE,
BREMÆ,

VIRIS

MAGNIFICIS, PERILLVSTIBVS, EXCELLENTISSIMIS,
CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS

C O V N I S O V M L I O B I V T S

S Y N D I C I S

ET

S E N A T O R I B V S

INTER HOS VERO, PRAESERTIM
PATRI SVO

SVMMA PIETATE IN AETERNV M COLENDO;

PATRIAEC PATRIBVS OPTIME MERITIS

P A T R O N I S

ATQVE

F A V T O R I B V S S V I S

PIA GRATAQVE MENTE VENERANDIS

HAS QVALESCVNQVE
STUDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS

OMNI, QVA PAR EST, REVERENTIA

DESPONDET ATQVE INSCRIBIT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
AVCTOR.

CONSPPECTVS.

I. Generalia quaedam de nullitatibus processus. Sect. I.

A) cuiusuis iudicij

- | | |
|---|-------|
| 1) ex iure naturae — — — | §. 1. |
| 2) secundum ius positivum Germaniae; vbi | |
| a) earum differentiae ab iniunctitate iudicij | §. 2. |
| b) notio cum speciebus traduntur — — — | §. 3. |

B) in specie, iudicij criminalis; de his

- | | |
|---|-------|
| 1) generaliter determinatur, vbinam adsint — — | §. 4. |
| 2) in specie, probatur, eas obtinere, tam | |
| a) in sententiis reo fauorabilibus, quam — — | §. 5. |
| b) in quavis alia essentiali parte iudicij criminalis | §. 6. |

A 3

II.

II. De vario nullitatum iudicij criminalis effectu.	Sect. II.
1) varia iudicij criminalis vitia	§. 7.
2) eorum effectus	
α) in genere	— — — — §. 8.
β) in specie	
I) intuitu partium	
A) rei seu inquisiti	
α) quoad iudicium criminale ipsum	
β) si vitium occurrit in processu	
1) in sententia reo favorabili	§. 9.
2) ubi iudicium vitiosum, reum grauat	§. 10.
3) sin in obiecto adest vitium	§. 11.
4) si quoad personas occurrit	§. 12.
β) quoad satisfactionem priuatam reo praestandam	§. 13.
B) accusatoris	— — — — §. 14.
II) intuitu iudicis	— — — — §. 15.

Sectio I.

*De notione et indole nullitatis in genere, nec non in specie,
de vsu distinctionis, inter nullitatem et iniuriam processus,
in causis criminalibus.*

§. I.

A) *Nullitas processus in genere,*
 1.) *ex iure naturae, idem est, cum iniuriae.*

Qualiscunque sit praestantia iuris naturae, nemo tamen negabit, multa ei deesse, et indeterminata mansisse. Hoc in primis apparet, in modo ius suum consequendi contra homines iniquos, eosque saepe facinorosos. Inniexus enim, ancipiiti iure fortioris, hic modus ius suum consequendi, et ab impetu scelerorum sese tuendi haud ubique felici coronat euentu causam iustiorem. Hinc, ineundae societatis ciuilis suprema lex fuit, communis omnium securitas; quo ipso factum est, ut prima constituendae reipublicae cura praecipue versata fuerit, in sanciendis poenis delictorum definiendoque modo ius suum consequendi,

B remissa

remissa ad posteros, accuratiore determinatione iurium atque obligationum, priuatorum inter se a).

Iudiciis autem instructis, abesse non potest, quin alteruter litigantium queratur, iudicem, fines sibi praescriptos, vel in modo procedendi vel in applicandis legibus, egressum esse. Quid tunc? Anne et huic iudici parendum? — Secundum sanae rationis principia, nullus dubito, qui, modo in *essentialibus b)* aliquid omissum sit, non solum *iniquam* talem dicam sententiam, *iniustumque* hunc procedendi modum, quippe iuri litigantis *vera contrarium*; sed eundem et *nullum*, id est, vi et efficacia omni destitutum, cui impune non paretur. Index enim, auctoritate publica, intra fines tantum, sibi praefinitos, gaudet, eosque egressus, personam priuatam agit c), qui ius dicere nequit, nec imperio *viget*; fines autem, iudici praescripti, praesertim eo continentur, ut secundum *leges iudicet*. Sed quis iam erit iudiciorum exitus? Nunquam enim deerunt, qui, ut impune, ius dicenti

a) quod exemplo illustrat, Vir illustris, praeceptor pie colendus PÜTTER, *Deutsche Reichsgeschichte in ihrem Hauptfaden entwickelt* §. 28. III. pag. 51.

b) qualia dicuntur omnia, *sine quibus finis iudicii, iustitia, obtineri nequit*; accidentalia enim, facilius omitti poterunt, modo etiam sine iis ius suum cunque tribuatur, nec leges sub poena nullitatis iubent eas obseruari, vii ex. gr. sanctum est, capit. fin. x. de sententia et re iudicata 6. (I. 14.) vid. Viri illustr. PÜTTER *opuscula rem iudiciar. imperii illustr.* pag. 293. §. 1. 2.

c) L. 3. de officio praesidis (I. 18.) L. fin. D. de iurisdict. (II. 1.)

dicenti non pareant, laesos se a iudice praetendant, processumque iniquum, adeoque nullum, dicant! Ortum hinc trahere videtur, quae iure ciuili, seu positivo, sancita est differentia processus, quem dicunt *nullum*, et eius, qui *iniquus* audit.

§. II.

- 2) secundum *ius positivum Germaniae*
a) differt ab *iniquitate*.

Leyes enim ciuiles, in specie nostrae, statuerunt *rem iudicatam*, seu eam litis, per sententiam iudicis decisae, vim, vt inter partes vires legis obtineat, veritatem iuridicam faciat, nullo sub praetextu causa retractanda. Haec enim, consensu quippe litigantium, siue vero siue ficto, fundata d), etiam in inquis obtinet sententiis, quoties litigantes, legitimis remediis contra sententiā, qua se grauiatos putant, vel intra tempus legitimū usi non fuerint, aut felici eorum successu haud gaudeant, vel leges speciatim interdixerint iisdem vti e), modo processus, nullitate non laboret; tunc enim, res iudicata plane locum non habet, nec elapso licet tempore legitimo, intra quod vtendum alias fuit remediis iuris, lis decisa, pro veritate habetur, sed per triginta annos f) retractari potest, hoc

B 2 tempore

d) vid. Viri illustris, praeceptoris summa pietate colendi G. L. BOEHMER *principia iur. canon.* §. 823.

e) vid. Viri illustr. CLAPROTH *Einleitung in den ordentlichen bürgerlichen Proces* II. Th. §. 356. edit. 2.

f) Rec. Imp. nov. §. 121. — (CANNIESER.) *Decis. summi trib.*
Hasso-Cassel. Tom. I. Dec. 31. pag. 35.

tempore, praescriptionis extinctiuae, nempe praestituto, vt finis sit litium. Adeoque per multum interest, quam sententiam nullam, quamque, licet iniqua sit, in rem iudicatam transire, dicere possumus, cum iam non omnes processus sententiaeque naeui, ea gaudeant vi, vt, quae ex iure naturali *ubique* obtinet, nullitas, inde nascatur, sed hae legibus nostris admodum sint restrictae g), in caeteris vero omnibus iudicii vitiis, vtendum sit remedii iuris, nisi, rem iudicatam, iniquitatem irreuocabilem reddere quis maluerit.

§. III.

b) *definitur, traditis simul eius speciebus.*

Nullitas ergo iudicii, ea dicitur qualitas processus vel sententiae, quae impedit, quo minus sententia in rem iudicatam transeat quaeque efficit, vt iudicium effectu careat

g) Quaenam sint nullitates, de his vid. tot. tit. D. quae sententiae sine appellat, rescinduntur. (XLIX. 8.) et Cod. (VII. 64.) quando prouocare non est necesse etc. R. I. nov. §. 121. 121. nec non CLAPROTH. I. c. Cap. 24. pag. 598 seqq. vbi nullitates

h) processus, ob vitium

I. circa personas

A) principales, nempe

1) iudicem. N^{ris} I. II. III. IV.

2) litigantes. N^{ris} VI. XIII. VII.

B) accessorias. N^{ro} IV.

II. in modo procedendi vero N^{ris} IV. V. XI. XIV.

3) sententiae denique, traduntur N^{ris} VIII. IX. X. XII. XV.

careat et, neglectis licet fatalibus remediorum iuris, perpetuo *h*) possit impugnari.

Distingui quidem solent nullitates (*a*) in *sanabiles*, quae ratihabitione partium *i*) repetitione actus, cui obest nullitatis opprobrium, vel alio modo corrigi possunt *k*), et *insanabiles*, quibus nullum superest auxilium. Ex quo autem, ius patrium *l*), sanxit, in sanabilibus nullitatibus seruanda esse fatalia remediorum iuris, notio nullitatis, reuera, ad insanabiles restricta est *m*).

Maioris vero momenti (*b*) distinctio est nullatum, in *absolutas* et *respectivas*, quarum illae, dicuntur, quae inuitis etiam litigantibus, ex officio vel ab utroque saltem, vrgeri possunt; hae autem, quarum tunc demum habetur ratio, si *laesus* de iis queratur; nec aduersario, nec iudici ex officio, concesso iure, iudicium inde impugnandi *n*).

B 3.

§. IV.

h) L. 3. C. de praescript. 30. vel 40. annor. (VII. 39.)

i) e. gr. L. 56. D. de iudiciis (V. 1.)

k) LAVTERBACH Colleg. theor. pract. Tom. 3. Libr. 49. tit. 8. §. 1.

l) Rec. imp. nov. §. 121. et 122. cuius egregiam interpretationem exhibit *Decisiones summi trib.* Hasso-Cassell. Tom. I. Decis. 118. pag. 497. seqq.

m) Viri illustris PÜTTER opuscula supra landata p. 314. §. 23.

n) exemplum exhibit L. 14. C. de procuratoribus (II. 13.).

§. IV.

B) Nullitas in specie iudicij criminalis

i) haud differt ab iniquitate, nisi obtineat res iudicata, in quod inquiritur.

Generalia hucusque quaedam tradidi de nullitatibus iudiciorum; sed speciatim iam, ad iudicia *criminalia* transendum erit, proposita quaestione, an et in his obtineat differentia inter nullitatem et iniquitatem processus vel sententiae. Huic quaestioni vero praeiudicialis est alia, nempe ea, quatenus *res iudicata* locum habeat in causis criminalibus? Haec enim si omnino deest, iudicium iniuum aequre retractatur, ac nullum. (§. I.) Ius autem commune Germaniae, tam receptum quam patrium, in causis criminalibus

I. condemnatoriae sententiae, vim rei iudicatae,
 i) contra accusatum, omnino non concedit, cum et sententiam passis, id est iis, qui poenam statulam iam subie-
 runt, haud denegatur, probata innocentia, restitutio fa-
 mae ex capite iustitiae, damnique resarcitio o). Id quod
 in favorem innocentiae, et ob graue saepiusque irrepara-
 bile praeiudicium insontibus ex causa criminali ortum,
 sapienter leges nostrae sanxerunt p). Vir piae memoriae
 QVISTORP quidem q) contrarium videtur tueri, dum as-
 serit,

o) tot. tit. Dig. et Cod. de sentent. passis (XLVIII. 23.) et (IX. 51.)

L. I. §. 27. D. de quaestionibus (XLVIII. 18.)

p) Entwurf eines Sitten- und Strafgesetzbuchs II. Th. Einleit. §. 5.

q) Grundzüge des deutschen peinlichen Rechts. II. Th. §. 775.

serit, sententiam condemnatoriam, actuali demum eius executione, in rem iudicatam transire; sed cum ipse restitutionem damnati, ex capite iustitiae, etiam post executionem *r)*, haud neget, verba praeter voluntatem, ei excidisse crediderim; praesertim, cum ne in dubium quidem vocetur *s)*, quantum mihi innotuit, thesis supra allata. Immo et indeoles rei iudicatae ei suffragetur. Haec enim consensu partium innixa (§. II.), ulterius locum non habet, quam, quoque priuatorum patet dispositio, cui vero causae criminales, in quibus quippe rei publicae maxime interest omnino non sunt obnoxia *t)*.

*2) In fauorem vero accusati seu inquisiti, eatenus, ut poena mitior statuta, in duriorem mutari non possit, statim post publicatam sententiam res iudicata sententiae quoque condemnatoriae obtinet *u)*; vti eadem vis, statim post publicationem,*

II. concessa est, sententiae *absolutoriae*, quippe "de his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio reiterari *x)*," nisi noua post emergant *y)*. Ex quibus omnibus iam apparet: *rem iudicatam*,

r) ibidem §. 849.

s) consentium inter alios I. H. BOEHMER exercitat. ad Pandect. Tom. 5. Nro 87. pag. 558. §. 40. — KOCH institut. iuris crimin. §. 903. — Vir illustr. G. I. F. MEISTER principia iuris crim. 451.

t) Viri illustr. G. L. BOEHMER princip. iur. canon. §. 524.

u) QVISTORP I. c. §. 776. pag. 1619. — KOCH I. c. §. 903.

x) sunt verba cap. 6. x. de accusat. (V. 1.)

y) Vir illustr. MEISTER I. c. §. 452.

catam, in iudiciis criminalibus, non nisi in fauorem accusati vel inquisiti obtainere.

§. V.

2) *locum ergo habet*

a) in sententiis in fauorem rei latae.

Tam exiguo, in iudiciis criminalibus, vsu rei iudicatae, nec magna in iis, vti iam patet, est differentia nullitatis et iniuriae iudicij, cum in sententiis tantum in rem iudicatam transeuntibus occurrat (§. II.) adeoque in criminalibus, non nisi intuitu sententiae *in fauorem rei vel accusati latae*, hac de differentia, quaestio moueri possit.

Quodsi ergo *iniqua* tantum sit sententia criminalis in fauorem accusati lata, mutari nequit, sed viribus rei iudicatae gaudet — id, quod praesertim eueniet, in sententia *condemnatoria* in fauorem rei lata, quippe quae, iniqua tantum plerumque est — immo, ne quidem remedia, quibus in causis ciuilibus vtimur contra sententiam iniquam, hic prodita sunt z), vnde statim, post publicationem, obtinet res iudicata; vbi vero nullitatis admissae opprobrium, sententiae in fauorem rei latae, recte obiicitur, exceptione rei iudicatae incassum se tuetur reus, cum magnus quidem sit fauor innocentiae, per sententiam absolvitoriam, agnitae, nec tamen talis, qui facinus manifestum impunitum liceat esse, quo effrenatior dein fieret facinorosorum multitudo. Praetereaque sententia ipso

z) A PUFENDORFF *Obseruat. iur. vniuersi Tom. 3, Obs. 100.*

ipso iure nulla, iuris intellectu, existere plane non videatur a), hinc eius, tanquam non entis, nulli effectus, quod aliter, in sententiis inquis, sese habet; hinc, ratio differentiae in aprico est.

§. VI.

β) in quavis alia parte essentiali iudicij criminalis; licet ibi ab iniquitate haud differat.

Hunc in modum autem restricto in causis criminalibus vsu distinctionis illius, inter nullitatem et iniquitatem iudicij, parum e re forsitan videbitur, verba facere de effectibus nullitatum in causa criminali admissarum! Admonitum vero, talia obiciuentem, velim, 1) quamdiu res iudicata legibus sancta non fuit, omne vitium essentiale processus vel sententiae, nullitatem, secundum principia sanae rationis, induxisse, (§. I. supra) hinc in iudicio criminali, vbi rei iudicatae locus non est, (§. IV.) eundem adhuc esse effectum, cuiusvis vitii essentialis, adeoque maiorem numerum nullitatum ibi occurrere, ac in ciilibus, vbi iniquitas distinguitur ab nullitate, cum in illis, quae, intuitu essentialium, iniqua, eadem, et sint nulla; dein 2) dari tamen, vti modo dictum est (§. V.) casus, vbi, etiam in criminali iudicio, nullitas, ab iniquitate, quoad effectum differt, nec tamen, 3) propter varietatem vitiorum, nullitatem admissam, vbiique eandem vim habere posse

a) Viri illust. FÜTTER opuscula I. c. §. 21. p. 299. — LAVTERBACH
Colleg. theor. pract. Tom. 3. Lib. 49. tit. 8. §. 1.

C

posse intuitu iudicii, de novo instituendi aut emendandi; unde
hic praesertim applicandae erunt distinctiones nullitatum,
in sanabiles et insanabiles b), absolutas et respectivas c).

Mihi ergo est propositum, disserere nonnulla, de
effectu cuiusvis vitii, circa essentialia iudicii criminalis
admissi, seu de effectu cuiusvis qualitatis (siue persona-
rum, siue obiecti, siue actus) in *essentialibus* iudicii crimi-
nalis obviae, quae legibus est contraria, quaenam admissa,
iudex, fines sibi praescriptos egressus est. Has enim
omnes, vbi res indicata non obtinet, nullitatem inducere
contendo, in verbis tamen facilis, si quis eas forsitan ini-
quitatem dicere maluerit.

b) Vir illust. MEISTER I. c. §. 367. Nro 1.

c) C. F. G. MEISTER's *ausführliche Abhandlung des peinlichen Pro-
cesses*. I. Th. S. 64. §. 17.

Sectio

Sectio II.

De vario, nullitatum iudicü criminalis, effectu.

§. VII.

i) *Varia iudicii criminalis vitia,*

Omnia quidem, qualiacunque iudicii criminalis vitia, in *essentialibus* admissa, nullitates dixi, innuens simul, non omnium eundem esse effectum; hinc, cum singulas nullitates enumerare, mihi haud liceat, variae earum *species* iam erunt proponendae, vt, iusto ordine seruato, suum cuique tribuatur.

Essentialia, seu substantialia, nempe negotii cuiusdam, dicuntur, qualitates, sine quibus hocce negotium omnino existere non potest d). Haec autem vel ex ipsa negotii natura, perspici possunt, et dicuntur *essentialia naturalia*; vel mero iure ciuili seu positivo requiruntur, tunc *civilia* seu *positiva* audiunt. Requisita *naturalia* iudicii criminalis, ex ipso eius fine diadicanda sunt, qui consistit e) in rite indagando et puniendo, tam delicto, quam delinquentie. Hinc partim concernunt personas, iudicium criminale constituentes, partim obiectum, denique,

C 2 modum

d) Viri illustr. PÜTTER *opuscula I. c.* pag. 296. §. 12.

e) SERVIN. *De la législation criminelle.* livre 3. pag. 349. — *Entwurf eines Gesetzbuchs in Criminalsachen I. Absch.* §. 1.

modum procedendi. Cum autem ius *civile* eadem iudicii capita sequatur, in iis quoque occurrunt requisita *positiva*, seu *formalia*, quae ad exactiorem causae cognitionem requiruntur, quibusque neglectis, facto excusso fides iuridica formalis haud conciliatur *f*) cum leges merito satius duxerint impunitum relinqu facinus nocentis, quam innocentem damnari *g*).

Quod ergo 1) ad personas principales, iudicium criminale constituentes, attinet, primo loco spectandus erit *reus delicti* (siue inquisitus, siue accusatus). Qui, si omni reatu caret, qualitas eius essentialis deest, cum impossibile sit, eum delinquisse, quippe quod supponit actionem liberam hominis, cui ea imputari possit. Vnde, si a priori apparet, hunc vel illum, imputationi omnino obnoxium haud esse, processus criminalis, contra eum plane admittendus non est.

Quoad

f) ex. gr. vid. art. 181. C. Carol. Crim. — De his egregie monet SERVIN l. c. "dans les etats ou les loix sont faites pour le peuple, on doit y prendre toutes les precautions imaginables pour que la vie, la liberté, les biens du peuple ne soient jamais exposés qu'a bonne cause; et l'on aimerera toujours mieux, prendre à cet égard trop de suretés, que de n'en pas prendre assez. — Dans le gouvernement que j'ai dû supposer, où il y a des citoyens et où la vie, la liberté et l'honneur des hommes sont quelque chose de réel, il doit y avoir des formes légales et sacrées pour décoverrir les coupables, et en assez grand nombre pour que la conviction soit pleinement acquise" etc.

g) L. 5. pr. Dig. de poenis (XLVIII. 19).

Quoad vero accusatorem, vbi adest processus accusatorius, defectus facultatis standi in iudicio criminali h), nullitatem inducit. In iudice denique, seu potius personis iudicium criminale, in specie sic dictum, constituentibus, nullitas oritur, ob defectum qualitatum, tam naturalium, verbi causa, ex aetate minore XVIII annis, dementia, sexu etc., quam *civilium*, nempe ex defectu iurisdictionis, vel fori competentis, ex minore, quam quem exigunt leges, numero adserorum etc. i). Vitium vero, quod in personis minus principalibus iudicii *criminalis* occurrit, nullitatem haud inducit.

2) Obiectum processus criminalis constituit, non omne factum illicitum, immo nequidem quodvis delictum, sed graviora tantum delicta criminalia [ratione iurisdictionis h)]. Haec tamen omnia supponunt, factum illud contingere potuisse. Quodsi ergo ob factum impossibile (exempli gratia, artes magicas, *qua tales*) vel leviora delicta, processus criminalis excitatus esset, iudicium nullitate laboraret, intuitu obiecti.

3) In modo denique procedendi, ex ipsa natura iudicii, *essentiales* sunt a) omnes actus, sine quibus, sufficienter

C 3

clienter

h) WIELAND *Geist der peinlichen Gesetze*. §. 525—528. Vir ill. MEISTER I. c. §. 462.

i) Viri illustr. MEISTERI, princ. I. c. §. 364—368. excl. — QVISTORP I. c. II. Th. §. 540.

k) QVISTORP I. c. I. Th. §. 30. et II. Th. §. 535. — WIELAND I. c. §. 532.
— *Entwurf des Sitten- und Strafgesetzbuchs*. II. Th. I. Hptst. §. 2.

cienter haud constaret, de corpore seu existentia delicti, verbi causa, sectio legalis in homicidiis etc. l) quibusue deficientibus, coniunctus haud esset reūs m); vti β) ea, quae pertinent ad legitime concipiendam et exequendam sententiam criminalem, quippe quae neque iuri, vt dicunt constitutionis n) seu thesi iuris, neque iuri litigantis seu rei, contraria esse debet. Ex ipsa natura processus criminalis, adeoque ex fine obtainendo (pag. 17 supra) haecce requisita, apparere dixi; sed praeterea in modo procedendi adsunt quoque formalia, seu qualitates mere *positivae*, quarum neglectus, nisi leges poenam nullitatis expresse minati sint, iudicium nullum quidem non reddit o), attamen, si damnum inde sentiat reus, omnino ponderanda sunt p) praezerosim; vbi in maiorem rei gestae fidem sancita sunt.

§. VIII.

l) vid. tamen Vir ill. MEISTER I. c. §. 382. not. a.

m) Silentio haud praetereunda hoc loco videntur, quae recte, contra usum torturae, *ad ipsum delinquentem conuincentum*, monuerunt, Viri praelari, SODEN *Geist der peinlichen Gesetzgebung*. 2 B. §. 644. pag. 271. seqq. aliisque, quos ordi nerecensuit GMELIN *Grundsätze der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen*. §. 247. pag. 397. seqq.

n) L. 1. §. 2. D. quae sentent. sine appell. (XLIX. 8).

o) Viri illust. PÜTTER *opuscula* I. c. §. 18. pag. 298. — Consonant quae profert, SERVIN I. c. pag. 422. §. 3. "Les formalites, étant „sacrées en matière criminelle, la loi doit, apres les avoir „determinées, declarer nuls, les actes de procedure ou elles auront été violées" etc.

p) exemplum vid. in Viri ill. MEISTERI *princ.* cit. §. 396. not. b.

§. VIII.

2) *Effectus nullitatum,*

a) *in genere.*

Traditis iam capitibus, in quibus occurrere potest vitium *essentiale*, seu nullitas, processus criminalis, nunc videndum, quis earum sit effectus? Disquisitio, eo magis operae pretium, vt videtur, quo minus hanc doctrinam in libris plurimorum scriptorum iuris criminalis q), accurate expositam repereris, quoque saepius in foro occurunt ineptae defensorum, de nullitatibus iudicij criminalis, querelae, insipidiusque, si fieri potest, nonnunquam petitum, inde desumptum.

Effectus nullitatum iudicij criminalis, potissimum spectant vel personas, rei, et, vbi adest, accusatoris, seu partes, vel iudicem; hinc, omnis disputatio in duas abit sectiones,

1) de effectibus nullitatum iudicij criminalis intuitu partium, nempe rei seu delinquentis, et accusatoris,

2) de harum nullitatum effectu, qui iudicem concernit.

§. IX.

q) eminet inter alios tamen. SODEN I. c. II.B. §. 663. pag. 293.

§. IX.

B) in specie, effectus

I) *intuitu partium*

A) *rei seu inquisiti.*

a) *quoad iudicium criminale*

~~debet esse iudicium~~ b) *si vitium in modo procedendi, nempe*
~~admodum~~ c) *sententia, reo favorabili, occurrit,*

Nullitatis admissae effectus, intuitu partium et in specie, intuitu rei, seu accusati vel inquisiti, alii concernant ipsum iudicium criminale, alii vero reparationem damni inde emergentis, adeoque, interesse rei priuatum; primo loco, verba faciam de illis.

Iudicium nempe criminale ipsum, nullitate laborans, hac euicta, eundem, cum indicio rite instituto, exitum habere nequit, adeoque indagandum erit, quid iam statuendum sit de ipso iudicio vitioso.

Hoc per sententiam erit decidendum, cum vel nulla adhuc lata sit sententia, sed nullitates, a defensore iudice ex officio, vrgearunt, vel, sententia iam lata ob nullitatem impugnetur, adeoque nunc iudicis deciso desiniendum sit, an et quatenus, in iure fundata sit defensoris, super nullitatibus querentis, intentio.

In hac discussione respiciendum, an vitium iudicij occurrat

w) *in modo procedendi, et quidem vel in ipsa sententia iam pronunciata concipienda, vel in alia parte processus.*

processus. Illo iterum casu, sententia, reo vel nimis favorabilis est, vel nimis in eum severa.

Primo ergo loco dispiciendum, quid statuendum, si sententia, reo favorabilis adsit. Haec vero, delinquente, vel absoluit, vel, condemnat quidem, sed mitius eum punit, ac puniri fas erat. Sententia reum absoluens, si ab instantia eum absoluit, aequae ac interlocutio merar), semper mutari potest; adeoque, iudicium criminale quo minus statim retractetur, nihil impedit, siue opus adhuc sit noua cansae cognitione, siue ex actis iam collectis pronunciari possit sententia definitiva, indiciis quippe, hucusque iam notis, per absolutionem ab instantia haud sublatiss s), sed in retractanda causa aequae ponderandis, ac si nulla iam adfuisse sententia. Huc referendus quoque casus singularis, delinquentis ad purgatorium, contra apertam confessionem suam suminamque probabilitatem, nulliter admissi, sententia nempe absque actis, quae index referens, aliis scriptis mixta, reperire haud potuerat, a collegio spectabili, incredibile dictu, lata. Praestito enim iuramento purgatorio, collegium illud, loco absolutionis, recte decreuit, inquisitionem, ob periurii crimen, contra delinquentem instituendam.

Sin sententia absolvatoria a *tota causa*, pronunciata sit contra tenorem actorum vel male applicato, ad factum iam excussum, iure, statim obtinere,

r) c. 60. X. de appellat. (II. 28).

s) QVISTORP I. c. §. 776.

nere, in fauorem rei, vim rei iudicatae, supra (§. IV.) dictum est, nisi *vera nullitate*, nec solum iniquitate laboret iudicium (§. V.) id quod, vel ex modo procedendi nulliter admiso, vel ex sententia, contra ius *in thesi* lata, apparebit. Hinc sententia *inique* absolutoria, impugnanda omnino non est; sed liberatur reus a processu criminali hucusque tractato. Contra vero, si *nullitate* laborat absolutoria, ea non obstante *t*), causa iam instructa, aliter deciditur, non instructa autem, ad sententiam *ulterius* praeparatur.

Idem hoc, non obtinet, quoties sententia, rei quidem condemnatoria, mitior tamen, quam fas erat, pronunciata est; reipublicae enim non adeo interest, ut seuerissimis delicta coercentur poenis, quam generaliter, ut impunitum non sit facinus. Quo ergo punito, omnino acquiescendum esse, leges indulgenter iubent *u*).

§. X.

2) *Sin iudicium vitiosum, reum GRAVAT.*

Hactenus de sententia vitiosa, reo *fauorabili*; iam disserendum erit, de iudicio criminali vitioso, reum *grauante*.

Nec

t) *Viri illust. MEISTER princ. cit. §. 452.*

u) *L. 45. §. 1. D. de re iudicata* (XLII. 1). — Licet enim non desint exempla, priuilegi odiosi, sub specie salutis publicae a tyrannis, occasione forsan, *L. 9. §. 11. D. de poenis* (XLVIII. 19.), (vbi princeps, *iudici*, ademit facultatem sententiam suam, ex causa etiam iustitiae, mitigandi, vnde obtinuisse videtur, quae vbique fere in vsu est, confirmatio sententiae criminalis a principe petenda) statuti; hoc tamen non ita ius esse, per se iam patet.

Nec in dubium quis vocabit, sententiam criminalem inique conceptam, nullo temporis lapsu obstante, mitigandam esse, simulac iniquitas eius apparet; res enim iudicata nunquam obtinet in condemnatoria sententia (§. IV.) et “egregia ratio humanitatis x)” postulat, innocentiae nullo vñquam tempore praescribi, cuius quoque rei praeclara extant exempla y). Sed si vitium, non adeo in sententia ipsa, quam in modo procedendi hucusque obseruato, occurrat, quid tunc? Distinguendum puto, inter nullitatem sanaabilem et insanabilem z). Quoties enim vitium, repetitione actus vitiosi, vel alio modo *sanari potest*, pronunciandum, sanandam esse nullitatem, antequam sententia definitiua sequatur. Nec obiciat quis, vitium forsitan adeo leue esse, vt delinquenti, grauis potius sit mora, inde orta, quam perniciosum ei foret ipsum vitium; vitia enim, de quibus iam disputamus, haud alia sunt, quam quae occurrunt circa essentialia iudicii (§. I.), quae obseruata esse, non solum rei interest, sed et iudicis sententiam ferentis, quippe cui, nisi adsit certitudo vel saltem probabilitas *iuridica formalis*, ius non est condemnandi reum a). Quod vero ad interesse priuatum rei

D 2

x) L. I. §. 27. D. de quaestionib. (XLVIII. 18).

y) Inter alia complura nominasse iuvat, exemplum miserandi CALAS, (vid. *Memoire a consulter, ou consultation pour la Dame Anne-Rose Cabibel veuve Calas.*) fataque processus, famosi molitoris Arnold.

z) dissentit Vir illustr. CLAPROTH: *Grundsätze von Verfertigung der Relationen* §. 204. not. c. pag. 304.

a) repeti hoc loco, merentur quae egregie monuit SERVIN supra. §. VII. not. y. citat. et BENI. CARRARD de la iurisprud. criminelle. 3. partie. introd. N°1. pag. 176. seq.

rei, ex mora ortum attinet, non desunt, ut infra apparet, media persequendi id, contra auctorem morae. Sanata autem nullitate, nil impedit, quo minus poenae ordinariae iam locus esse possit, nisi mitiganda sit ob cruciatus reo inique inflictedos.

Sin INSANABILIS premit iudicium nullitas, actus vitiouse suscepti vel plane omissi 1) incertum forsan redundat corpus delicti (in sensu lato), id est, fidem morallem, vel existentiae delicti vel auctoris, haud conciliant b); tunc poenae ordinariae, grauiori, locus non est, quippe quae plenam certitudinem corporis delicti, requirit c); sed extraordinaria poena reo irroganda est, modo aliqua corporis delicti certitudo adsit, nec tamen maior speranda, si de nouo inquiratur in crimen, alias enim causa ad decisum melius instruenda esset. Quodsi tandem, omnis certitudo corporis delicti deesset, reus, vel ab instantia vel a tota causa absoluendus, prout nondum luculenter constat de eius innocentia, eaque iam sufficienter apparet.

Saepius tamen, 2) certitudine corporis delicti salua, occurunt vitia iudicii criminalis, quae reum quidem gra-

vant,

- b) c. gr. omissa sectio cadaveris, nunc iam impossibilis, modo caesus, vulnere accepto, illico mortuus non sit. v. Viri illustr. MEISTER *principia* §. 382. not. a. Similiter defectus visi reperti, vbi nec adest exactum sectionis protocollum, nec illud adhuc suppleri potest, insanabilem nullitatem inducit, quae incertum reddit corpus delicti etc.
- c) QVISTORP I. c. §. 600. et 601.

vant, attamen ipsum iudicij finem haud impediunt, e. gr. excessus in tortura adhibenda *d)* commissus; tunc, praeter interesse priuatum, a reo persequendum, et poenam iudici irrogandam (§. XV.), quoad ipsum iudicium criminale, vitium admissum efficit, vt ob mala forsitan inique perpessa, mitior reo infligenda sit poena, vel ea pro iam perpessa declaretur, si talis reo illata sit iniuria, qua poena, iuste in eum statuenda, omnino iam exhausta sit *e)*. Cum enim facta, infecta fieri haud possint, nec, punitio licet iudice, iniuria delinquenti illata semper reparari possit, ratio aequitatis suadet, mala, reo iuste irroganda, compensari, cum *inique perpessis*; res publica enim facta ministrorum, qui circa officium deliquerunt, in subsidium praestare tenetur *).

§. XI.

d) Si quoad obiectum occurrat vitium.

Quos hucusque tradidi, effectus iudicij criminalis vitiosi, respiciunt naevois in modo procedendi occurrentes, quos, numero quippe maiores, praemittendos censui. Iam videamus, quid statuendum sit de iudicio criminali, quod vitio laborat circa *obiectum*, admissa nempe persecutione publica, facti, quod delictum omnino non constituit.

D 3 Statim

d) vid. QVISTORP 1. c. §. 752. in fine Led. hi ut cuitentur, obseruanda sunt, quae egregie monet Vir illust. CLAPROTH supra citat. §. 196.

e) de eo, quod, rupto laqueo aut fallente ista, statuendum sit, vid.

QVISTORP §. 796.

*) STRUBEN *Rechtliche Bedenken*. tom. 2. Nro 85. §. II, pag. 324.

Statim apparet, tale iudicium in quavis sua parte, pro nullo declarandum, reumque a tota causa absoluendum esse. Vbi enim delictum non adest, ibi per rerum naturam, nec iudicium criminale, nec publica eius persecutio, locum habet. Nec obstat rei iudicatae vis, quippe quam, in praeiudicium rei, omnino locum non habere, supra dixi.

§. XII.

2) *Si in personis adsit vitium.*

Idem fere obtinet, si vitium occurrit in *personis*, iudicium criminale constituentibus. *Iudex* enim, *inhabilis aequi*, ac *incompetens*, et is, qui, non adhibitis *personis*, ad rite constituendum iudicium criminale, legibus requisitis, causam tractauit, iudicium retro nullum facit, nisi quod ad *hunc posteriorem agnoscat* delinquens iudicium ita constitutum, praetereaque ex actis appareat, iudicem caetero-quin legitime processisse, ita ut fides ei habenda, nec aliiquid circa causam instruendam, desiderandum sit *f)*, quo casu, ne mora adferatur decisioni, agnitus iudicij admittenda videtur. Inabilitas autem aequi ac incompetentia iudicis, ne spontanea quidem agnitione rei, sanari potest, cum ei fides haberi non possit, quae, praeter acquiescentiam rei, vbi-que exigitur ex officio. Vbi ergo, pro nullo habendum iudicium, reus ab *instantia* tantum absoluendus est, ne iudici competenti adimatur facultas delictum persequendi.

Immo

f) QVISTORP 1. c. 2 Th. §. 541. in fine. — Viri ill. MEISTER *principia* §. 367. in specie etiam, mot. c. dicti §^l.

Immo ad hunc transmittenda sunt, ex officio, acta hu-
cusque, in foro incompetente, collecta, quo facilius explo-
rare possit delictum, quod puniri, reipublicae interest.

Reum quod attinet, supra (§. VII. 1.) exposui, in
eo requiri, ut reatu hand caret. Quodsi ergo quis
reus postulatus esset, imputationi omnino non obnoxius,
nullitate insanabili laboraret iudicium, nullo temporis
lapsu, alioue modo sananda, cum, ne notio quidem de-
licti g) adisset.

Accusatore denique, legitima persona standi in iudi-
cio criminali, destituto, nullitas processus *accusatorii* ori-
retur, semper quidem vrgenda, *reum* tamen, non nisi
ab instantia liberante, ne iustiori accusationi praeiudicetur.

§. XIII.

β) *effectus ratione satisfactionis priuatae, reo praestandae.*

Qui ipsum iudicium criminale spectant effectus nulli-
tatum, iamiam exposui; superest, ut de satisfactione pri-
vata reo praestanda, verba faciam. Nec 1) in dubium
quis vocabit, ius huic esse, damni quoconque modo per-
perSSI reparationem ab eius auctore exigendi, prodita
hunc in finem, actione ex lege Aquilia, iniuriarum,
aliaue congrua. Leges enim expressis verbis sanciunt,
satisfaciendum esse reo, pro iniuria, dolore, impensis et
damnis h). Hoc ipso tamen intelligitur, leges supponere,
damnum

g) *Viri illustr. MEISTER principia saepius laudata* §. 21.

h) art. 20. C. C. C.

damnum ex vitiis iudicii sensisse reum, alias, nec eius reparatio cogitari posset. 2) Plerumque tamen, moram ad minimum necit nullitas, vnde interesse saltim morae recte exigitur, 3) ignominiae autem reparationem poscendi, insonti vel ei tantum ius esse patet, qui actum, famae perniciosa e. gr. torturam etc. subire, iniuste coactus est.

Quisnam autem teneatur ad illam satisfactionem, reo praestandam, quaeris forsan? Respondeo, *auctor iniuriaie, reo illatae, adeoque, ius iniquum in eum statuens iudex, vel impetrans accusator, vti paragraphis sequentibus apparebit, immo, in subsidium, rempublicam ipsam teneri, aequum est i).*

§. XIV.

B) *effectus ratione accusatoris,*

Quod enim attinet ad accusatorem in processu criminali accusatorio, effectus vitii, quo laborat iudicium criminale, sunt, vt ita dicam, vel passiui vel actiui; illos sentit accusator, si vitio ansam dedit, quippe qui hoc casu, non solum *reо*, cui damnum iniuria dedit, ad id quod interest, sed et *reipublicae* ad poenam arbitriam subeundam tenetur, si calumniam mouerit insonti h), vel ipse collusionis reus sit, qua factum, vt reus

i) vid. *Entwurf eines Gesetzbuchs in Criminalsachen.* 22. Abschn.
§. 2. 3. pag. 106—108.

h) QVISTORP 1. c. §. 807.

reus criminis absolutus sit *l).* Sin nullitati ansam non dedit, nullus dubito, quin *principaliter* iudicem, tanquam auctorem damni, reo teneri asseram, cum expressa legum verba, obligatum eum ad reparationem damni pronuncient, nec ea, quae, inique, in causis ciuilibus tueruntur iudicem *m)*, obseruantia, obsit in criminalibus.

Actiuos autem effectus ratione accusatoris, dico, ius eius, resarcitionem damni, ex iniqua delinquentis absolutione sibi emergentis, exigendi ab eius auctore, iudice perperam procedente. Remediis enim iuris dengatis accusatori contra sententiam *inique* absolutoriam, nullitate, in specie sic dicta, tamen non laborantem, (§. V. supra), nihil ei restat, quam ad reparationem damni, ex accusatione incassum instituta emergentis, agendi seseque tuendi a poena praeuaricationis, deducta iniuitate iudicij, hunc in modum vitio iudicis iniuste ad finem perducti.

§. XV.

II) *Effectus, ratione iudicis.*

Index denique ipse, vt ex iam deductis appareat, effectus sentit vitiorum, quae admisit in iudicio criminale, eosque quidem, sibi molestos tantum. Quo magis enim, in causa tam ardua, curare tenetur, ne immergitis,

l) L. 1. §. 1. L. 2. et 6. D. de praeuaricat. (XLVII. 15).

m) Vir, ill. A. D. WEBER. *Ueber die Processkosten.* §. II. pag. 118.

tis, innocentes, nec nimiis delinquentes, afficiantur malis; eo minus in dubium vocari poterit aequitas, quae iubet, ut ipse, qui artis peritiam profitetur, omnem culpam praestare teneatur. Nec desunt haric in rem, graves legum sanctiones *n*), tam iuris communis, quam particularis, inter quas tamen, magnopere eminet illa legum Borussicarum *o*) noua collectio, quae cuique aeuo, erit argumentum praeclarum pieque colendum, qualis fuerit genius nostri temporis.

Non solum enim laeso, tam reo, quam accusatori, eorumque heredibus, ipse ad omne damnum resarcendum tenetur, ut supra dictum est (§. XIII. et XIV.), sed et reipublicae (quae ex delictis ab officialibus circa officium suum admissis, merito in subsidium tenetur) fit obnoxius, tam ratione sumtrum incassum impensorum, quam ratione poenae ei infligenda, ut aliis exemplo sit.

Vtinam vero, superflua essent ob studium et integratatem iudicium, hae legum sanctiones! vtinam quoduis reipublicae membrum, semper et vbique memor esset:

Salutem publicam supremam esse legem!

n) art. 20. et 61. C. C. C. — QVISTORP I. c. §. 98. 650. et 752. — KRESS.

Commentatio ad art. allegat. 20. C. C. C. № 1. et 3.

o) *Allgemeines Landrecht für die Preussischen Staaten.* III. B. II. Th. 20 Titel. §. 381—398.

THESES.

IV

THESES

I.

*E sponsa nati, secundum ius Germaniae commune, sunt
legitimi.*

II.

*Nec, per subsequens matrimonium legitimatis, in feudum
succedendi ius est.*

III.

*Aius paternus ad alendum nepotem illegitimum omnino
non tenetur.*

IV.

*Donatio inofficiosa, nunquam rescinditur in totum, sed
in quantum inique minuit legitimam.*

V.

V.

*Insinuatio donationis, summam quingentorum solidorum
excedentis, est actus iurisdictionis mere voluntariae.*

VI.

*In substitutione pupillari, ne quidem matri, debetur legiti-
tima.*

VI

*Constitutio de matrimonio et successione in
matrimonio et successione in matrimonio.*

(X 228 2109)

ULB Halle
005 458 358

3





1795,2 4

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
EO QVOD IVSTVM EST
CIRCA
**NVLLITATES IVDICII
CRIMINALIS.**

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO
SVMMIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS
D. X. OCTOBRIS MDCCXCV.
PVBLICO CERTAMINI SVBMISSA

AVCTORE
H E N R I C O G R Ö N I N G
B R E M A N O.

GOETTINGAE
TYPIS IO. CHRISTIAN. DIETERICH.